



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Oratio ad Christum Dominum Pro impetrando ejus Spiritu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

rituum elargire, ut pro salute proximi,
arcana, quæ in corde ejus geruntur ape-
riant.

IX. Prædictis denique, O Spiritus
Sancte! adjungere dignare *Donum inter-
pretationis Sermonum*, quo res obscuras
variis modis à te revelatas declarent, ad
maiores agnitionem, laudem & amorem
sanctissimæ Trinitatis. Amen.

*Oratio ad Christum Dominum
Pro impetrando ejus Spiritu.*

O Saluator mi! quemadmodum Elias
in Paradisum raptus, pallium & si-
mul cum eo ferventem spiritum suum du-
plicem Elisæo reliquit; ita tu in cælum
ascendens pro hæreditate, Ecclesiæ tuæ &
cuiusvis ejus justo pretiosissimam carnis tuæ
vestem in Sacramento altaris reliquisti, ut
ejus sumptione, unumquemque alterum
quasi Christum efficias per similitudinem.
Obsecro te, ut fiat in me spiritus tuus du-
plex: spiritus scilicet amoris Dei & amo-
ris proximi: spiritus exercendi opera vitæ
activæ & opera vitæ contemplativæ:
spiritus mortificationis & orationis: spi-
ritus

ritus faciendi & docendi : denique spiritus gratiarum & virtutum in proprium meum commodum , & gratiarum gratis datarum , in commodum aliorum : ita ut per efficacissimam factæ hujus communionis virtutem fiat discipulus sicut est Magister ejus ; eaque faciat opera admiranda, quæ ille fecit , ad solam & majorem Magistri sui honorem & gloriam. Amen.

FERIA VI.

Petitio Charitatis ad Patrem cœlestem.

I.

O Pater æterne ! Quid juvat , si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam ? nunquid ero velut æsonans aut cymbalum tinniens, cujus sonus, non vivus, sed mortuus, alios excitat ad faciendum quod sonus indicat ; ipsum verò loco non movetur ? Quare gratiam tuam copiosam mihi infunde ; ut æmuler charismata meliora , & adhuc excellentiorem viam , quam demonstrat Apostolus , ingrediar , viam scilicet divinæ charitatis, quæ omnium virtutum & gratiarum vita & anima est. O Sacramentum amoris ! confer mihi hodie te sumentibus hanc